

multo prius, quam Hebræorum, pervolutarent, factum est, ut, Ægyptios eorum, quos apud eos usu receptos esse legebant, rituum autores quoq; esse, existimarent, & si quid iis haud dissimile in Hebræorum cultu invenirent, id ab Ægyptiis ad eos dimanasse sibi persuaderent. (β.) Ipse *Diodorus* ingenue confitetur, ne se ipsum quidem ea, quæ de rebus Ægyptiacis ante bellum Trojanum literis consignavit, pro certis habere *l. 1. p. 9.* Quare *Jac. Salianus* in *Annalib. Eccl. V. T. p. 238.* Nugatur, ait, *Diodorus Siculus*, & sua ipsius confessione *μυθικὰ* scribit, cum ait, *Judeos ritum, ab Ægyptiis derivato, pueros apud se natos circumcidere.*

§. 4. Objicitur (4.) *Josephi silentium*, qui alias verba *Herodoti* adducta refutasset, si à veritate fuissent aliena. *Marsbami* verba hæc sunt: *Josephus cont. Apion. p. 1047. c. ad citatum Herodoti locum, hoc adjicit: Τῶν δὲ τὴν παλαιστίνην κατοικούντων μόνοι τῆτο ποιῶσιν Ἰσραῖλοι.* Eorum qui *Palestinam* habitant, soli (circumciduntur) *Judei.* De ritus origine nihil objicit. Resp. Non opus erat, ut de circumcisionis origine hic iterum aliquid exponeret, quia alias à scopo aberraret; præterea etiam mentem suam hac de materia explicaverat dicendo: Προσέταξε τὸ ἀπ' αὐτῆς γένου βελλόμενον μείνειν τοῖς ἄλλοις μὴ συμφερόμενον περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα. *Jussit Deus genus ipsum, quod nolebat cum aliis permixtum, pudenda circumcidi.* Quid clarius? Irritus autem fuisset hic finis, si circumcisio jam ab aliis fuisset usurpata.

§. 5. Objicitur (5.) *indiciu Scriptura*, quæ *Jer. IX. 25. 26.* Ægyptiis inter gentes circumcisas primum adscribit locum, nullam ob aliam rationem, quam quia circumcidendi mos antiquior fuit apud Ægyptios, quam apud cæteros, imo ipsos *Judeos.* Resp. Negando consequentiam. Si enim hæc major propositio: *Quicumq; inter gentes circumcisas primum obtinent locum, apud eos circumcidendi mos fuit antiquior, quam apud reliquos, qui postponuntur, firmo stat talo, possum subsumere: Atqui Colchi inter gentes circumcisas primum obtinent locum, quod*